



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XLVIII. Alia caussæ, ob quas inuuenes moriuntur sæpe ante senes, tum ex natura, tum è diuina iustitia petita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

524 Cap. XLVIII. Iuuenes mori, nec contra naturam esse,
Ozæ, Achan, irreligiositate, Heli indulgentia mortem promo-
ueant.

C A P V T X L V I I I .

*Aliæ cauſſa, ob quaes iuuenes moriuntur ſepe ante ſenēs, tum
ex natura, tum è diuina iuſtitia petita.*

I.

ANIMI cauſſa quidam rei rusticæ ignarus ex vrbe in rus ambulauit, ibi villicum vidi gramina metentem. Vno ictu variæ herbæ floresque varij cædebantur, & procumbebant. Nam herbarum aliæ jam adoleuerant, aliæ lactentes quodammodo, & tenellæ erant. Florum nonnulli folia omnia explicauerant, alij in suis adhuc folliculis contecti ſe colligeabant. Denique & eminentes, & vix è terra emergentes plantæ eādem falce fecabantur. Quo viſo imperitus ille, villicum mēſſorem incuſare coepit, tamquam imprudenter, vno ictu, & matura pariter, & immatura meteret. Existimabat enim, herbas nouellas nondum exſcindendas, donec in parem cum alijs magnitudinem excrecerent. Plus enim tunc villicus fœni collecturus videbatur. Villicus accusationem audiens riſit, & vicissim accusatorem de iuſitia rei rusticæ accusauit. Quæ enim falx id diſcriben faceret, vt humilioribus parceret herbis, & aliores ſegregaret? Ita natura exigit, & ars präſcribit, vt parua magnaque germina, nullo diſcrimine habeantur. Idem facit mors, quæ ſceptraligonibus aquat. Nam omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo. Verè fœnum eſt populum, exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. Ut ergo in feſco omnis generis herbæ ſunt & flores, ſic inter eos qui mortis falce ſucciduntur, omnis generis & ætatis homines eſſe oportet. Mors à Poëtis, per antiphrasin Parca vocatur, quia nemini ſolet parcere. Nulli itaque ſexui, nulli condicioni aut fortunæ blanditur. Non illam vires ſuperant, non diuites pecunijs corrumpunt; pueros rapit & adultos, viros ac feminas; dominos & ſeruos; diuites & pauperes; doctos & indoctos. Qui igitur aliquem mori dolet, genitum quoque fuſſe dolere debet. Natura hæc eſt, naſcimur ut moriamur; immò, vt quidam dixit: *Naſcentes morimur, finūq; ab origine*

Iſa. 40. 6.

origine penderet. Talis fuit ille, qui ex Naim efferebatur: *Filius* Luc. 7. 14^o
vnicus matris sua. Erat enim juuenis, immò adolescens. Nam
ita CHRISTVS dixit: *Adolescens, tibi dico: surge, Illum CHRISTVS*
non magis juss erat surgere, quām priūs mori. Moriebatur enim
vt resurgeret, miraculo CHRISTVM illustraturus.

II.

Quin ideo quoque obierat adolescens, sicut multi quotidie,
vt error illorum tolleretur, qui existimant, idcirco se diutissime
victuros, quod juuenes sint; aut quod sint chari, aut quod opu-
lenti. Adolescens ille & juuenis erat, & vnicus utique charus
matris suae; quin & opulentus, alioqui non tot habuisset funeris
sui comites. Nam turba ciuitatis multa funus comitabatur.
Itaq; neq; eum matris amor, nec populi fauor, neq; medicorum
ars, neque diuinitas, neque fletus amicorum, neque immatura ætas
contra mortem defendit; sed tristis eius casus palam ostendit,
verum esse illud dictum: *totidem vitulorum, quot vaccarum*,
pelles ad forum portari. Mors sine auribus pingitur, non sicut
se placari precibus, inexorabilis est. Effossis est oculis, cæco iactu
obvia quæque metit. Viscera non habet, *vt moueat*ur. Ossea
est & dura, non flectitur. Longis cruribus, assequitur omnes,
passus enim ingentes facit. Falcem denique stringit in omnes.
Quid igitur? num DEVVM arguemus crudelitatis? At DEVs ho-
minem creauit à morte exemptum. Deus mortem non fecit, nec la-
tatur in perditione virorum. Quis ergo mortem fecit? *Per unum* Sapi. 1. 13^o
hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, Rom. 5. 12^o
Non ergo Deus accusandus est, sed homo, qui se ipsum morti
subjecit, à qua se exemplum sciuerat, si non peccauisset. Nunc
ergo statutum est hominibus semel mori. Nullus amplius eximitur,
Serius, aut citius metam properamus ad unam. Adeò *ut etiam*,
qui, neque actuali, neque originali peccato contracto, prorsus
innocentes erant, CHRISTVS Dominus ac Mater eius sanctissima,
tamen mortem, tamquam naturæ humanæ, ob Adami pecca-
tum decretam, subierint. Hæc ergo prima moriendi cauſa.
Vixissent homines semper, si numquam peccauissent. CHRISTVS
non peccauit, peccati tamen, cum natura nostra assumpit
poenalitates.

Sapi. 1. 13^oRom. 5. 12^oHebr. 9. 27^o

At, si moriendum est, cur tam juuenes moriuntur? Qui

VVV 3

Mun-

III.

Mundum condidit, eumdem gubernat. Quod si gitur non vult eumdem destruere gubernando, necesse est, eum diuersis rerum naturis conuenienter gubernare. Quin & ad infinita illius sapientiae authoritatem pertinet, cursum naturae non impedire, ne quod sapienter condidit, retractare videatur. Itaque quidam flores ephemeri, & viuis diei sunt, alij diuicius durant; quædam arbores etiam tota hieme virent, ut abies, buxus, cedrus, hederæ, cum interea etiam ipsæ quercus folia amittant; quædam animalia longæua, ut cerui, cygni, corvi, cornices; quædam admodum brevis vita habentur, ob variam corporis constitutionem. Quia & in eadem specie unus equus, unus asinus diuicius vitam produxit, quam alter, vel ob generosiores natales, vel ob casus quosdam extraordinariosque labores. Ita inter homines etiam ipsos contingit. Omnes similes sumus in natura; moribus & ingenio, & valetudine dissimiles. Lampas, quæ plus olei habet, diuicius lucet: citius extinguitur, in qua oleum deficit. Oleo comparari potest humidus radicale, quod in uno magis abundat, quam in altero. Cuius rei causa sunt vel illorum sidera & complexio, vel illorum parentes morbidi, vel ipsimet.

IV.

Quare nullus juuenis, longiores annos sibi promittat senectus? Nescit, quantum olei super sit. Quo consumpto, alij deinceps vitai lampada tradet. Et numquid non æquè subest diuinæ prouidentiæ imperio ac senectus? Illa cum quibusdam longam, quibusdam breuem vitæ periodum prescripsit, illis certam olei mensuram longeque, quam istis, capaciorem attribuit. Quis autem in diuinæ prouidentiæ librum inspexit? quis sibi notam esse dicere potest illam mensuram? Hoc unum scimus, nos mortuorū; diem aut horam, immò annum nescimus; ut semper vigilamus. Thomas Morus, elegantis vir ingenij, hominem diu victimum, & hominem citius moriturum comparare solebat, duobus furibus, qui ad idem patibulum ducuntur, alter via longa, alter compendiosa, hac condicione, ut neuter sciat aut breuitatem viæ, aut prolixitatem. Juuenis & senex ad eamdem mortem trahuntur, cuius tempus utriusque ignotum est. Unde ergo tu scis, o juuenis, te longiore potius via ducendum? Quoties de funere audis adolescentis, cogita eum tibi esse admonitorem. Sequeris,

&

& fortè citius, quām credas. Monet te natura'; monet fragilitas; monent socij; moneris iam per jocum; iam seriò. Multi per somnia instigantur, vt tibi dicant, vltra duos, tres, aut quatuor annos te non superuicturum; tempus esse conuasandi. Multi (vt Caiphas) nescij prophetant, multi quoties pro te DĒVM orant, tacitē impelluntur, vt te moneant, ne differas de die in diem conuerti ad Dominum. Quin tibi ipse Angelus tuus custos sēpius eiusmodi iniicit cogitationes. Si non sapiis, si non nouissima prouides, quomodo te excusabis? Sed sunt quidam, qui insofar serpentis obturantis aures suas, auditum auertant & fugiant *Psal. 57.5.* monere cupientes; digni, quibus & *CHRISTVS* aures suas occludat, dicatque: *Vocaui, & rennisti. Ego quoque in interitu vestro Proverb. 1.24 ridebo.*

Quando DĒVS extra naturæ ordinem non agit, sed communis legi omnia fieri permittit. tria sunt, quæ tam juueni, quām seni mortem aecersant, duo interna, contrarietas qualitatum, & calor; tertium externum nocens. Nam primò constant copora humana rebus valde contrarijs, & inter se pugnantibus, nempe quatuor elementis, quatuor humoribus, partibus heterogeneis contrarias naturas includentibus, & se se mutuò atterentibus. Cerebrum frigidissimum; cor calidissimum; mollis est humidaque caro, os durum & siccum. Cū ergo contrariarum rerum consociatio non possit esse perpetua, fit, vt tandem dissoluantur. Atqui dissolutioni huic æquè juuenis ac senex obnoxius est. Quin haud raro periculoso in statu res sunt juuenum, quām senum; siquidem in senibus firmam quamdam stabilemq; temperiem mutua collisione acquisuerunt illa contraria; quæ in juuenibus omnia ardentiùs, & quasi secundūm ultimum potentia agunt. Duo infirmi, & longo bello exhausti debilitatiq; hostes, non tantum sibi mutuò nocimenti inferunt, quantum duo alacres & viribus integris præditi; multoq; citius hi se expedient, quām illi. Ita & in juuenibus fortiores sunt pugnæ & conflictus virium adhuc non refractarum. Hinc illæ febres ardentes; hinc phrenes; puerorum. Secundò. Ipse calor quo viuimus, nempe naturalis ille corporibus insitus, qui animæ ad omnes functiones, vt naturale & generale instrumentū datus,

humori

V.

humori nativo cohæret, tamquam pabulo quo pascitur & sus-
tentatur, sicut ignis lignum, ita humorem illum identidem de-
pascitur & conficit. Tamen autem assida vegetatione resar-
ciatur, non tamen resarcitur secundum eam vim ac puritatem,
quam primò habuit; itemque, quia omne agens naturale, dum
agit, etiam vicissim patitur, sit ut semper magis ac magis debili-
tetur. Vnde ortum habet corruptio sanitatis, infirmitas virium,
sensuum imbecillitas, incommoda senectutis, & tandem mors.
Haec itidem causa non minus locum habet in juuenibus, quam
in senibus; aliquando etiam magis. Nam quò vehementior est
in juuene calor, eò plus nativi humoris deuorat & absunt; vt
natura tantum non possit semper restituere, licet alioquin plus
restituat, vnde in maius crescere & augmentum accipere possint.
Ea de causa vidimus saepe fortissimos ac robustissimos citissime
interire; & si pinguem ac validum inuadat febris, aiunt Medici,
eum grauius laboraturum, quam, si febris nihil in eo alimenti
reperisset. Interim frequenter debiles admodum, & qui semper
habent aliquid in corpore reficiendum, in multis annos viuunt;
nempe, quia in ipsis longè intensa minus est actio caloris, quam
in validis illis Trossulis & Entellis.

VI.

Martial. l. 4.
ep. 28.

Tertiò, mortis causa sunt ea, quae extrinsecus homini per-
niciem exitiumque moliuntur; vt aér pestilens, aqua suffocans,
terra obruens, ignis adurens, sœua & venenata animalia, homi-
nes inimici, quin & inimici dæmones, & mille alia talia. Quid
enim hominem occidere non potest? Aut ubi mors non est, si iug-
latis aqua? ait ille de stiria decidente, & juuenem perimente;
quid non possit mortem inferre, si vuæ acinus suffocavit Anacre-
ontem? Si araneæ gutta, si viperæ denticulus vitam euerit?
Si tot hastæ, tot mucrones & pugiones, si tot sclopi & tormenta
bellica in mortes hominum præparantur? Alij saxis, alijs tegu-
lis compluuntur. Plurimi impressione aciculæ perierunt. Quod
siigitur hanc tertiam caussam spectemus, fatendum erit, his om-
nibus tantò magis obnoxios esse juuenes, quanto minus cauti
perieula quæque aggrediuntur, ijsque etiam se vltro ingerunt
atque immiscent. Senex experientia longa doctus, omnia me-
tuit, omnia circumspicit, & didicit se se contra omnia discrimi-
na con-

na conseruare; scit quid vitandum, quid in opem vocandum sit. Juuenes è diuerso, omnia tuta putant, quia nondum sciunt anguem in herba latere. Quæ ergo non vident, non timent. Quæ non timent, etiam vltro appetunt & sestantur. Quin & vi-ribus ac valetudine freti, omnia audent. Dum ergo senex sibi attendens parciùs bibit; juuenis intrepide cymbium Herculis exhaerit. Non illum aér, non aquæ terrent; volat, natat, nul-lum metuens profundum; subit aggeres, excipit ignes; & si ho-sis deest, hostem sibi facit prouocando. Quare sicut infantes sine nutrice citò cadunt, ita juuenes sine solicitudine periculi periculis se permittunt. Nutrix si adest, tenet ruentem; sic se-nes ipsa sua se cura retinent in vita; dum juuenes incurij obuijs casibus capiuntur. A cocis solet peti similitudo. Illi si ollam ha-bent veterem, debilem, exustam, attentissimè eam tractant, le-ni motu, & vtrâque manu foco apponunt, ne frangatur: at no-vam ac recentem dum fidentiùs incuriosiusque reponunt, fran-gunt. Sic senex, vt olla vetus, sibi ipse attendit; juuenis vt olla recens, sibi ipse fudit, vnde multa audet, multa tentat. Quid mi-rum si citiùs frangatur? Nonnè plures natando juuenes per-eunt, quâm senes? nonnè plures saltando rumpuntur in juuen-tute, quâm senectute? Qui pluries duellis cadunt? qui bellis? nonnè juuenes?

Qui tamen hoc non credunt, nempe se magis de vita peri-clari, sed imaginantur sibi omnes longiorem vitam. Quibus errorem suum robustis verbis inculcat S. Iacobus. Ecce, inquit, Iacob. 4. 13. qui dicitis: *Hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & dinceps exterminabitur.* Cur autem hoc non credunt adolescen-tes? cur se in Italianam, Galliam, Hispaniam ituros, magnos in-aulis futuros sperant? ob multas rationes. Nam primò ea, quo-rum nullum adhuc indicium sentimus, non solemus curare; præ-sertim si adsint in contrarium argumenta. Cùm ergo adolescens sanum se ac robustum videt, statim coniicit, non tam subitò se moriturum. O puer imprudens, cur mari tranquillo credis? quan-ta quâm subitò malacia in quantam mutari potest tempestatem?

VII.

XXX

Secundò

530 Cap. XLVIII. Inuenes mori, nec contra naturam esse,
Secundò. Id accidit fraude diaboli, pictorem imitantis. Pictor
enim quædam in tabula ita depingit ut longissimè distare vide
antur, quæ tamen in eadem tabula sunt, in qua illa, quæ putas
oculis tuis vicinissima. Sic dæmon sæpe mortem, quæ in propin
quo, immò jam in tergo est, facit longissimè distantem apparere.
Hac fraude plurimi impelluntur, ut pessimè moriantur. Tertiò,
Præsentium bonorum amor ac cura homines ita excæcat, ut non
videant ea, quæ futura sunt, sed ut identidem terrenis intenti,
vitam ducant absque metu. Sic simia canes fugiens, dum in aqua
relucente imagine sua se oblectat & fugere obliuiscitur, capitur.
Sic dum ocreas piscatorum pice illitas induit & ludic, liberta
tem amittit. Maximè verò in spem longioris vitæ inducuntur
juuenes, dum latentes morborum cauñas non vident, neque
sciunt pugnam contrariorum in se, caloris defectum, & exter
na pericula, quas tres esse cauñas diximus, ob quas adole
scientibus mors solet venire ante tempus.

VIII.

Prima & secunda cauña, si secundum se, & congenitum
temperamentum spectentur, habent sanè certum à natura tem
pus ac terminum sibi præscriptum; plerumque tamen is terminus
à tertia cauña prævenitur & contrahitur. Pugna enim contra
riorum in homine acuitur ab intemperantia, calor nativus in
cenditur à libidine & furore; sæpe etiam calore extrinsecus ad
ueniente calor destruitur naturalis. Quamobrem aut senibus
sibi magis attendentibus ac temperantibus, neque totos con
gios animæ suæ superfundentibus, non tantopere timenda mors
est, quantopere juuenibus; aut saltem his æquè atque illis; quan
do ijsdem constat principijs corruptionis. Quemadmodum vasa
fictilia æquè sunt obnoxia periculo, siue noua sint, siue vetusta;
fictile enim opus, fragile est opus; ita homines pariter omnes
sunt mortales, & mille periculis expositi, siue sint senes, siue ado
lescentes. Si enim figuli officinam ingressus videres mensam,
immò omnem officinam fictilibus vasis refertam, quorum quæ
dam recentia, & adhuc à furno calida; quædam antiqua; alia
parua, alia magna; quædam deformia, quædam elegantia; & è
figulo quereres, quodnam ex illis sit priùs frangendum? respon
deret sine dubio, illud, quod aliquo casu priùs in terram deci
derit,

derit, aut ad murum allidetur. Ita ex hominibus ille prius è vita
decedet, non qui fuerit antiquior, sed quem aliquis casus applau-
serit, duxeritque prius ad sepulchrum. Totus mundus nihil aliud
est, quam quædam figuli officina. *Habemus thesaurum istum*, 2. Cor. 4. 7.
(vitæ, animæ, gratiæ) in vasib[us] fictilib[us], inquit Apostolus: Su. Psal. 2. 9.
mus ergo fragilia vasa: *Tamquam vas signi confinges eos*: & de Isa. 20. 14.
alio dicitur: *commixuetur sicut lagenas signi*. Permittit ergo hæc
vasa, & has lagenas casibus, & naturæ cursui omnipotens gu-
bernator, cuius est naturas rerum non impedire, quas tanta sa-
pientia consilioque produxit.

Quamquam interim, si illius consilia rimemur, nullus fit
in orbe casus; omnia certo fine peraguntur, vel permittuntur.
Nam si à natura velimus ascendere ad naturæ Authorem, &
fontem rerum supernaturalem, qui est Deus, plurimas ille, gra-
uissimasque insuper caussas habet, ob quas sæpe juvenes citius
velit emori, quam senes. Apud Ieremiam legimus, Prophetam Ierem. 18. 1.
jussum ire in domum signi, conspexisseque ibi facientem opus
super rotam, & cum dissipatum esset vas, quod faciebat è luto
in manibus suis, statim fecisse illud vas alio modo. Tum Deus
ad Prophetam: *Numquid sicut signus iste, non potero vobis*
facere? *Ecce sicut lutum in manu signi, sic vos in manu mea?* Rom. 9. 21.
Quod si alia caussa non esset, ea esset, ut Dominus se signum
illum esse ostenderet, qui formauit hominem de limo terra, & Gen. 2. 7.
inspirauit in faciem eius spiraculum vita, & factus est homo in ani-
mam vincentem. Sed & aliae illi suppetunt caussæ. Aliquando
enim relinquit opus suum, donec naturæ infirmitate frangatur,
quando scilicet ita ad gloriam Dei, atque ipius hominis id seruit
utilitatem. Quod si caussa, & culpa interueniat aut parentum,
aut filiorum, aut aliorum, ipse vas suum frangit, &, si placet,
immutat, ut filium illum unicum viduæ, quem ante portas urbis
Naim suscitauit; ut defunctam filiam Archisynagogi, ut ipsum. Luc 7. Luc. 8.
etiam Lazarum fregit, & iterum per resuscitationem immuta-
uit. Sæpe autem, immò plerumque fractum relinquit, quia pauci
sunt, qui à mortuis suscitantur. Adeò ut rectè Mundus hic sit
comparatus carceri, quem rex potens curavit ædificari, & in-
cum coniici multa millia scelerorum hominum; mandans, ut

IX.

Luc 7. Luc. 8.
Ioan. 11.

XXX 2 singulis

532 Cap. XLVIII. Juuenes mori, nec contra naturam esse,
singulis noctibus modò quini, modò deni ad supplicium ducan-
tur, semperque alios super alios induci jubens reos, qui passim in
regno capiuntur. Sicut enim à tali carcere justissimè iam hic,
iam ille, prout regi liber, ad mortem rapitur, ita è Mundo mors
quoslibet abstrahit, prout Deo videtur. Sicut ibi nemo securus
est, ita etiam hīc; sicut ibi juuenes ante senes, & senes ante juue-
nes promiscuè, ita etiam è Mundo euocantur. Cūm autem om-
nes debeant timere, imprimis debent id facere adolescentes, quos
præter dictas cauissas, sāpe Devs, peculiares ob rationes, citius
jubet è vita exturbari. Placens Deo factus est dilectus, & viuens
inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectū
eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacita-
tis obscurat bona, & inconstancia concupiscentie transuertit sensum si-
ne malitia. Consummatus in brevi explevit tempora multa, placita
enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de
medio iniquitatum, &c. Huic tali beneficium ek mors; alijs vitā
indignis supplicium.

Sap. 4. 11.

X.

Ad hunc modum solent reges, vlturi grauia parētum crimina,
vel ex tyrannide grauissima, ad maiorem luctum illis inferendū,
filios in oculis atq; conspectu eorū necare. Ita fecit Phocas Mau-
ritio Imperatori; ita septē filij & fratres Machabæi, jussu Antio-
chi, in præsentia matris, dirissimè sunt excruciatæ; ita filij Sedecie,
à cōplexu eius auulsi, jussu regis Babylonij, sunt contrucidati; ita
Calliopius coram Theoclia; ita coram Felicitate septem filij
Martyres immanissimè sunt interempti. Simile quid facit Devs,
patitur mori juuenes, vt puniat parentes officij sui immemores;
quando nimis perditè filios amant. Ita factum est memorato
Daudi, filium ex Vriæ vxore suscepimus vehementer amanti,
cuius ardentissima deprecatione nō passus est se se exorari Devs,
sed eum sustulit è Mundo, quem David sustulit ex adulterio. In
Ægypto quantum flagitium, tantum extitit & supplicium, quan-
do Dominus iudex puniuit Pharaonem; permisit enim omne-

Exod. 13. 19. primogenitum mori, à primogenito Pharaonis, qui sedebat in folio
eius, usque ad primogenitum ancille, que est ad molam, & omnia pri-
Cæsarius. 1. 4. mogenita jumentorum. Notum est illud Cæsarij de milite, qui
cap. 23. videns à parte occidentali aërem obscurari, nubesq; imbriferas oriri,

iratus

iratus dixit: Ecce ubi iterum diabolus ascendit. Vix sermonem sierat, & ecce orta tonitrua, filium eius in sinu nutricis percosserunt, ipsa incolumi permanente. Fertur Nobilis ante fenestram suam in horto arborem habuisse, in qua nidulans auicula suauissime canebat. Ei canenti ut identidem attenderet vxor eius, totos dies in fenestra jacebat otiosa. Cum ergo alia illam ratione non posset se uocare maritus, tandem auiculam sagittâ dejecit: ita vxorem ad domestica munia reuocauit. Ad eundem modum Deus, cum videt parentes filii suis nimis affixos, & quodammodo cali suique oblitos, sagittâ mortis eos deiicit. Quoties parentes timent, ne filij sui nimis fiant pij, ne in religiosum Ordinem intrent, atque eapropter à colloquio revocant magistrorum? Quoties, ut filios ditent, subditos depauperant? Quoties omnia permittunt, quæcumque libido suadet; dicentes, unicus est, sat habet bonorum, utatur libertate? Adeo ergo Deus, & unicum tollit. Aut, si quis plures habet, unum tollit post alterum, donec tandem nulla monitione emendatum tollat etiam ipsum parentem, qui prius velut simus nimo amore factum suum comprimens necauit.

Maxime autem amittunt ante tempus vitam, qui ea se sceleribus suis indignos fecerit; atque iij potissimum, qui in parentes suos iniurij existunt. Exemplum luculentissimum est in Absalone; qui amore dominandi persecutus parentem, non à carnifice, sed à proprio mulo, & proprijs crinibus suspensus est. Nam cum ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnâ, adbasit caput eius quercui: & illo suspenso inter calum & terram, mulus cui infederat pertransiuit. Tulit ergo (Ioab) tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom: cumq; adhuc palpitaret ha-
rens in quercu, cucurrerunt decem juvenes armigeri Ioab, & percu-
tientes interfecerunt eum. Quantus tum luctus fuit Dauid clamantis: Absalom fili mi, fili mi Absalom, quis mibi der, ut ego moriar pro te? Et tamen Deus luctum hunc non curauit. Observatione dignum est, inobedientes filios & filias, ut plurimum à Deo tolli. Quod ipse minatus est in Decalogo: Honora patrem tuum Exod. 20: & matrem tuam, ut sis longanus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Et in Proverbijs: Qui affligit patrem, & fugat ma- Prou. 19: trem,

XI.

534 Cap. XLVIII. Juuenes mori, nec contra naturam esse,
trem, ignominiosus est, & infelix. Ut quid enim terram occupat?

Prou. 20.

Prou. 30.

Leuit. 20.

Deuter. 27.

Ac rursus: *Qui maledicit patris suo & matris, extinguetur lucerna eius, in mediis tenebris.* Iterumque: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris sua, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filii aquila.* Sed adhuc grauius quid dicitur in Leuitico: *Qui maledixerit patris suo aut matri, morte moriatur, patri matris, qui maledixerit, sanguis eius sit super eum.* Omnia grauissimum est: *Extinguetur lucerna eius in mediis tenebris;* significat enim hæc sententia mortem in peccatis mortalibus atque extra gratiam. Etsi enim aliqui exponant: *Extinguetur lumen vita eius, in hoc Mundo,* hic enim in Mundo sumus, quia in tenebris, quia & Christus dicitur illuminare his, qui in tenebris sedent, & in umbra mortis; tamen per tenebras frequentissimè intelliguntur peccata, quæ cæcitatem inducunt, quæq; æternam illam maledictionem merentur. Vnde & in Deuteronomio legimus: *Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem, & dices omnis populus: Amen.*

XII. De vtraque morte sunt exempla. Temporalem vitam esse S. Bernardin. talibus diminutam, luculentè ostendit D. Bernardinus hac histo- Tom. 2. Do- min. 3. qua- drages. ferm. cui nomen Sui, non ita procul Valentia, adolescens fuit, qui per paren- 17. & Guil. tum inobedientiam, è deuenerat, ut anno octavo decimo propter la- Baldesan 13. trocinia & publica facinora, in vincula conjectus, & suspendio dam- fum. adolesc- cap. 16. natus fit. Erat etiam tum prorsus imberbus, pendenti verò iam atque exanimi subito prorumpit barba, spectante populo. Cosa capitis plane senescunt, ut atatem referret hominis nonagenarij. Miraculo rei acci- citus cum populo & toto Clero accurrit Episcopus. Omnes in genua prostrati expectant, dum ostendat DEV'S, quid sibi monstrum hoc velit. Atque ecce tibi Episcopus editorem capiens tumulum ad omnes ait: *Voluisse DEV'M ostendere, quantum de vita eis detrahatur, qui de parentum obedientia detraxerunt: vieturum etiam hunc juuenem- fuisse ad eam etatem, qua iam apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientia detraхisse.* Audite hæc pueri puellæq; cerebros & inobedientes, quæ parentes vestros toties ad ira- cundiam prouocatis; cum illis litigare, rixari, conuicia misere- audentes; illis non verentes contradicere, detrahere de bona existimæ-

existimatione, quin & s^epe verbera minari. Quamuis enim
s^epe parentes in causa sint, vt ob amorem nimium, aut nimiam
indulgentiam & impunitatem tales filios nanciscantur, non pa-
titur tamen De^s eiusmodi filios inultos. Neque h^ac tantum
vit^a priuat, sed etiam s^epe atern^a. Alium quempiam, ait Tho-
mas Cantipratanus, in partibus Gallie, sub Philippo rege, nostris
temporibus fuisse cognouimus. Hic ab ineunte etate peruicacissima
vita fuit: Vt illud, quod de Ismaele scriptum est: Manus eius, contra
omnes, & manus omnium contra eum, in eo ita videretur impletum,
vt ne parentes proprios quiescere sustineret, sed ad amarissimum vita-
finem perduceret. Post quos & ipse miserabiliter infirmatus, & in
agone mortis positus sumptis Ecclesiasticis Sacramentis, subito, inter
manus assistentium clamans horribiliter exiluit dicens: Surgite om-
nes, arma accipite, iuuate me contra proprium patrem, quia om-
nium inimicorum meorum dux^r factus est & me conatur occidere.
Et hoc dicens, quasi contra ingredientes multitudinem, ad ostium
conabatur. Nec mora, cadens cuersis terribiliter oculis, clamanit
expirans: Heu me! pater meus modo validissimo lapide frontem meas
percutiens contriuit. Hi autem, qui assistebant, neminem quidem
videbant, sed quasi turbas se comprimentium, & ingredientium au-
diebant. Vide ergo, qui nec patrem proprium propitium habere po-
tuit, quantis diuina vindicta animaduersiōibus dignus fuit. Non
tamen absolutē eum, qui apparuit, illius patrem dixerim; sed quem-
cumque fortē ex spiritibus sine bonis, sine malis, cū dictum sit: Ar-
mabit creaturam ad ultionem inimicorum, contra insensatos.

Itaque impij non dimidiabunt dies suos, quia neque ad dimi-
dium peruenient suorum dierum. Quamuis enim sterua cuique Virgili 10.
dies, & constituti sint termini vita, qui prateriri non possunt, ac nu- Eneid.
merus dierum praefixus sit, in praescientia prouidentiae Dei, ab Iob. 14. 5.
eterno aspicientis, qua eum & die, & hora de Mundo auulsurus
sit ita merentem; juxta natura tamen mensuram, s^epe, quæ pro-
telanda erat, vita tela vel à carnifice vel à casu sinistro praeeditur. Isa 38. 12.
Aperte id docet Scriptura. Ne, inquit, impie agas multū (per- Ecclesi. 7. 18.
seuerando scilicet, aut plura patrando, atrocioraque) & noli esse
stultus, ne moriaris in tempore non tuo; à natura alioqui tibi dan-
do, aut etiam à gratia peculiari, ultra natura pensum, & Parcæ
fusum

Thom. Can-
tipratani li. 26
Apum. c. 146
§. 7.
Gen. 16.

536 Cap. XLVIII. Iuuenes mori, nec contra naturam esse, fuisse filiumque. Prorsus enim etiam ille tempore non suo, sed tempore divinæ vindictæ moritur, qui sine poenitentia moritur; & saltem non ita dimidiat dies suos, ut det medios poenitentias,

S.Bern. serm.
de cautio
Zacharie.
S. Gregor.
s. Moral.
cap. 28.

qui medios dederat vanitati. Ita enim eum locum S. Bernardus interpretatur, ut dicat, eos non dimidiare dies suos, qui in sua

vetustate usque ad mortem perseverant. Et S. Gregorius itidem il-

los censet, idcirco non dimidiare dies suos, quia tempus vitæ ma-

lum, voluptatibusque duorum, ad poenitentias lamenta non di-

vidunt; nec, ad bonum usum partiendo, reparant; sed perver-

sam mentem, nec in extremis quidem annis immutant, atque

Ephes. 5. 16. tempus non redimunt, anteactam vitam, quam lasciuendo perdi-

derunt, flendo reparantes. Indigna res, si, qui omnem vitam

Deo deberent, ne medium quidem dignantur consecrare; tota

proinde exuendi. Cur enim dies illis Deus det, & prolongeret, qui

nolunt eos Deo reddere? Hinc multos vidi, qui à Deo ad

religionem vocati, cum vegeti essent, & viribus robustis, atque,

per naturæ dona, ad senectutem usque Nestoris perventuri, su-

bitò tamen etiam in ipsa iuuentute extinti sunt, quod Deo vi-

vire noluissent. Nimirum promiserant sibi longam ætatem, &

secula in voluptate peragenda; sed non dimidiarunt dies suos,

quos sibi parentibusque promiserunt. Igitur in dimidio dierum

ad portas inferi tetenderunt, & sublati sunt, ante tempus suum. Si-

cum & ille stultus, qui anima sua dicebat: Anima, habes multa bo-

na posita in annos plurimos: requiesce, comedere, bibe, epulare; & eadem

nocte vita sua est exutus. Quod & regi Balthassari contigit, qui

eadem nocte interfecitus est, qua epulum mille optimatibus dederat,

& temulentia in vasis aureis, atque argenteis domus sacra triumpha-

rat. Id ipsum Chrysologus docet, in villici parabola significari,

dum enim villicationis arquitit tempus, immaturum exitum ex-

primit, & illum denotat, qui ad statutum vitæ exitum non per-

Ierem. 17. II. tingit. Hæc & Ieremias edixit his verbis: Perdix fonit, quæ non

peperit: colligit dinitias, & non in judicio; in medio dierum derelin-

quet eas.

XIV. Demitur ergo de vita & voluptuarij, ut illi contigit, qui

in plurimos annos bona reponebat; & superbi, ut Balthassari; &

auari, ut villici; & murmuratoris, ut Coxe, Dathan, & Abiron;

&

Num. 16.

& aliorum, ut in Saule, Achitophele, Absalone, Amnone, Cla-¹, Reg. 2. 33.
de Sodomitica; Diluuij, Maris rubri, & familia Heli est manife-
slum, cuius parem magnam comminatus est morituram Devs,
cum ad virilem etatem venissent. Thomas Bozius demonstrat, Bozius de
hereticis regibus, dum vixere in regno, ultra 40 annos vitam signis Eecl.
longiore non fuisse, vnico Andronico secundo seniore excepto,
Palæologo; qui anno 43. imperavit: cum tamen multis Catho-
licis vita fuerit, in ea dignitate longior; scilicet ob Patrem
Deum, & matrem Ecclesiam honoraram, ut diuinum promis-
sum impleretur, de vita longaetate. Fortasse etiam ob istam
causam vniuersim homines nunc sunt aui breuioris, quam ini-
tio Mundi innocentioris, cum tot Macrobij inuenirentur. Nunc
enim multis reipsa contingit, quod D. Antonius narrat Ana-
stasio Imperatori non sine prodigio contigisse. Apparuit enim
illi horribili specie vir cum libro, in quo scriptum erat: En, ob
tuam improbitatem, quatuordecim tibi vita annos deleo. Quoties
juenes, non apparet quidem, sed delet tamen vobis Deus, vni
quidem quatuordecim, alteri viginti, aliij tringinta, quadraginta-
que vitae annos, quos in improbitatem semel lapsi diabolo con-
secraretis? Cur enim tot juenes florentissimos in media mori
adolescentia videmus? Rapiuntur quidem nonnulli, ne malitia
peruertat intellectum illorum: & dies Sanctorum quoque breui-
antur, teste Auctore operis imperfecti, ne det Devs in aeternum
fluctuationem iusto, usque adeo impij non solum sibi, sed etiam
probris vi vita breuietur, causa sunt tamen multo plures impia
viuendi ratione mortem sibi ipsis ante tempus accersunt. Nihil
enim ad impium pertinet de domo sua post se, & si numerus mensium
eius dimidietur. Antequam dies eius impleantur, peribit, & manus
eius arescent: ledetur, quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi
olua projiciens florem suum. De manè usque ad vesperam succidetur.
Nunc quidem efferri cernimus ad sepulchrum multos, causam
autem non cernimus. Erit cum aspiciemus eiuscemodi cadaue-
ra purpuratorum iuuenium, animam ipso cadauere habuisse fœ-
diorem, dignam proinde fuisse, quæ, dum corpus terræ traditur,
in inferno sepeliretur. Quamquam his ipsis beneficium confert

Y y

Deus,

Matth. 24. 12.
Author ope-
ris imperf.
hom. 49. in
Matth.
Job. 21. 21.
cap. 15. 32. 33.
cap. 4. 20.

538 Cap. XLIX. Mortes varias, per bella, pestes, aliasq; caufas,
Deus, dum vitam tam citò aufert; aufert enim cum vita occasio-
nem atrociora supplicia promerendi.

XV.

Sed cur non etiam sine beneficio hoc auferret vitam illis,
qui improbitate sua faciunt, ut etiam sancti viuere diutius in-
tam scelerato Mundo non velint? Nam eousque peccatum pro-
greditur, ut & malos faciat vita indignos, bonos autem vitæ in-
Eccles. 2. 37. dignantes. *Idcirco tradit me vita mea*, ait ille, *videntem mala uni-*
Gen. 27. 46. *uersa esse sub sole, & cuncta vanitatem*. Quale vitæ tedium etiam
Iob. 10. 1. Rebecca, Iob, Ionas, Elias, Paulus, Christus, aliquæ quām plu-
Ion. 4. 8. g; Reg. 19. 4. rimi habuerunt. Diem natalem Iob maledixit; & Ieremias, ac
2. Cor. 1. 8. Mathathias, se natum doluit. Et Paulus cum eodem Iob, & le.
Marc. 14. 33. remia, & Elia, & Dauide ex hac vita discedere desiderauit. Et
Iob. 3. 1. Ierem. 20. 14. qui vitam odio habuit, ait S Ambrosius, *utique mortem prædicauit*,
1. Machab. 7. *grauias est enim ad peccatum vinere, quām in peccato mori*. Immò
Rom. 7. 24. longè præstabilius est millies mori, quām in peccato viuere.
Phil. 1. 21. Hinc solenne est sanctis viris tedium præsentis vitæ, ut ipsi mor-
Psal. 141. 8. S. Ambros. de tui Deum etiam leuiter desinant offendere, ac videre peccata
beno mortis. aliena, quibus grauiter læditur diuina maiestas. Miùs enim il-
cap. 7. lis dolet mors sua, quām mala aliena, ut apparuit etiam in S. Au-
gustino, cùm eius ciuitas ob sideretur. Itaque & se perimunt
ante tempus, qui peccant, & eos, qui non peccant, ut vel sic bis
peccent peccatores. Qui plura vult de hoc arguento, legat
S. Gregorium Nyssenum oratione de ijs, qui præmaturè abri-
piuntur.

C A P V T X L I X .

*Mortes varias, per bella, pestes, aliasq; caussas, justissimis Dei
judiciis in homines immitti.*

I.

GUr homines nonnulli citius moriantur, satis dictum
existimo. Atque hæc de tempore Mortis quoque suf-
ficiunt. Nam quod in senecta primùm ætate decebat,
vix est quisquam qui murmuraret; cùm vix quisquam sit tam se-
nex, qui non vel sperret, vel optet vitam longiorem. Quod si
enim nonnumquam tedium laboris, vel alijs erumnis pressus mor-
tem videatur vocare, haud seria est vocatio, quia si vel inuoca-
ta venit, est ingrata. Quod lepida fabella expressit Æsopus, in
sene